



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica vigesima secunda

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

Dominica XXII. post Pentecost. 151

bemus orantes pro invicem *Officium  
Marie majus.* Charitate discernuntur  
Mariæ filii, & clientes.

Dominica XXII. post Pente-  
costen.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**ili! propriâ se hodie Christo, &  
populo prodidere nequitiâ astuti  
Pharisæi. *Ea enim est peccati proprie-  
tas* (ait Didacus de Cast.) *ut seipsum  
prodat, tacentibus omnibus, & loquen-  
te nemine.* Et non fugiemus confusio-  
nem tantam, cuius causa sibi omnis pec-  
cans? Malo mori, quam fædari, & ita  
prostitui. Ignominia omnis in peccato!

*Instructio meritoria.*

Cupimus metere honorem? ergò  
virtutem seminemus. Quod fiet per ac-  
curatam sacrorum Exercitiorum obser-  
vantiam, & expeditionem distributio-  
nis temporis fidelissimam. Ne verò  
propria nos confundat conscientia, ore-  
mus Psal. *In te Domine speravi &c.* ni-  
hil pretiosius tempore! & heu! nihil

G 4

hodie

152 Dominica XXII. post Pentecost.  
hodie vilius reputatur ! transeunt dies  
salutis , & nemo recogitat !

II.

**O** Ingrata gens Judæorum ! iterum  
consilium ineunt , ut caperent  
Jesum in sermone . Ne capiamur & nos  
in verbo , os nostrum à malo , & pravo  
custodiamus eloquio , & caveamus ab  
omni multiloquio . In hoc quis effu-  
giet peccatum ? Verè Salomon : *Qui cu-  
stodit os suum , custodit animam suam .  
Qui autem inconsideratus est ad loquen-  
dum , sentiet mala . Quis nos liberabit ?*  
prudentia , & circumspectio .

*Instructio meritoria .*

Involare in verba aliorum , & discur-  
sus interrumpere , nimiae garrulitatis , &  
effusionis est . Qui moribus studet , po-  
tiùs audit , quàm loquitur . Subtrahamus  
hodiernæ recreationi unum , vel alterum  
quadrantem , & quem fortè dedissemus  
garrulitati , impendamus vel orationi in  
templo ; vel occupationi piæ in cubi-  
culo . Deploremus deperdita vanitati-  
bus tempora , & SSS . Trinitati offeramus

*Offi-*

Officium minus cum 30. Pater & Ave.  
Gaudium ut sit plenum, in Deo, & tem-  
poris usu quæramus.

III.

**A**d imaginem Dei factus est homo.  
sed ô fili! jam interrogamur : cu-  
jus est nostra? Repræsentemus (monet  
D. Bernardus) in nobis imaginem Christi  
in appetitu pacis, in intuitu veritatis, &  
in amore charitatis. Adhortatur & S.  
Ambros. Honorem Divinæ Similitudi-  
nis, ad cuius formam creatus es, nobili-  
tate morum, exercitio virtutum, digni-  
tate meritorum habere, contendere. Se-  
quamur monita. Sancti dederunt.

*Instructio meritoria.*

O pudor! exclamat S. Bernardus:  
De vase stercorum semper curas, de  
imagine Dei non curas. Imaginem seu  
vitam nostram ut sollicitè curemus, tem-  
perantiae, modestiae, & taciturnitati in-  
signiter studeamus, earumque exerce-  
tio totum hunc mensem tribuamus quo-  
tidie orantes: *Té ergo quæsumus, tuis fa-  
mulis subveni, quos pretioso sanguine re-*

G. demi.

154 Dominica XXIII. post Pentecost.  
demisi. Addamus Rosarium dolorosum, memores illius Xaveriani proverbii : *Quid te abjicis ad infima, qui natus es ad summa?*

## Dominica XXIII. post Pentecosten.

### EXHORTATIUNCULA I.

**V**Idet in platea publica hodie Princeps Evangelicus Christum. Ecce! citò accessit, & prostratus in terram adoravit. Si hæc in platea, quæ fieri oportet in ecclesia? S. Antoninus nos instruit dicens : *Ad ecclesiam sit humilis, & devotus accessus, nec ibi fiant parlamenta, nec judicia, vel vaniloquia, sed auditio, & meditatio attenta divinorum.* Ubi plerumque cor nostrum in templo? fortè ingemiscimus : Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum!

### *Instructio meritoria.*

Quām graviter increpat S. Chrysostomus, quos in templo cernit irreverentes.